





בג"ד:

DISSERTATIO,  
De  
**CONFUSIONE**  
**LINGVARUM**  
**BABYLONICA,**

*Quam**Athenis Leucoreis*


Placidæ sistit Eruditorum disquisitioni

PRÆSES

**M. GEORGIUS DAVID Ziegler/**  
Witteberg.

RESPONDENTE

**JOHANNES MUSÆO,**  
Forstâ-Lusato,

*Ad diem XVI. Julii, Horis antemeridianis,**In Auditorio Minori.*

WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO clc lcc LXXIX.

Benevolentiam,

Quâ  
V I R I

*Magnificus, Maximè Reverendi, Amplissimi  
Excellentissimiq;*

**DN. MARTINUS GEIERUS,**

Doct̃or Theologus de totâ Ecclesiâ orthodoxâ decus  
omne emeritus, Sereniss. Princip. Electori à Consiliis  
Ecclesiasticis, Confess. sacris & Concio-  
nibus aulicis primariis,

*Ut &*

**DN. SAMUEL BENEDICTUS  
CARPZOVIVS,**

SS. Theol. Candidat. longè meritisimus, Ejusdem  
Sereniss. Electoris Ecclesiastes aulicus  
fidelissimus,

*Domini ac Patroni mei Summi,*

*Idemq;*

*Optimi Maximi,*

me immeritum studiaq; mea  
profecuti sunt,

Dedicatione hujus Disputationis de prædico.  
veneror & ad ulteriorem studiorum meorum  
promotionem eâ, quâ decet, observantia  
invito

M. GEORGIUS DAVID Ziegler.

ÀVEU ωεγονίς.

§. 1.

**N**tequam de Confusione ipsa dicamus, necessarium videtur esse, ut inquiramus, *quænam illa prima fuerit Lingva, quam Deus ab initio mundi primo homini indidit, & quæ sola ante Confusionem Babylonicam viguit?* Unam enim tantum fuisse Lingvam, testatur ipsa Scriptura Gen. XI. i. *Job. Goropius Becanus Lingvam Cimbricam pro antiquissima & Protoplastorum in Paradiso vernacula venditare voluit, cujus postmodum Hyperaspisten egit Levinus Torrentius. Rationes, quas adducit, nullius ferme momenti sunt. Dicit enim, voces aliarum Lingvarum ad hanc reduci posse, e. gr. בהמות ipsi est quasi Been-hot/ i. e. pecudum & inimicitiae caput, Noach Not-acht/ i. e. curans necessitatem, Nimrod Nims Brod i. e. raptor panis, &c. ergò hanc esse primævam. Verùm, omnes aliarum lingvarum voces ad hanc commodè referri, falsum esse, quis non videt? Quasdam quidem eam voces communes habere cum aliis, non negamus, sed non statim concludendum, omnes habere & per consequens, eam esse antiquissimam. Ejus farinae est, quod urget de simplicitate, quòd radices ejus lingvæ constant ex una syllaba. Nam non statim, quod simplicissimum, antiquissimum est. Et si id procederet, Chinaica vel Tschinaica lingua esset primæva, quæ omnia ferme vocabula habet monosyllabica. Vide plura de hac quæst. apud Pfeiff. *Disp. de Lingva Protopl. Assert. 5.* & *Barth. Mayerum Philol. Sacr. P. II. p. 351.**

§. 2. Volunt & suam *Phryges*, suam, teste Mar. Victorio Proæm. *Gramm. Æthiop. Abyssini*, suam *Chinenses*, suam *Arabes*, & qui non? in *πρωτογονίας* thronum collocare, ex inani jactantia, & quia sua cuique pulchra Phyllis est. Maximè tamen *Theodoretus* natione *Syrus & Cyri in Syria Episcopus*, *quæst. 12. in Genes.* Lingvæ *Syro-Chaldaeæ* istam vindicare gloriam conatus est; in cujus sententiam iverunt & alii, nempe *Maronita de monte Libano*, eosq; inter *Georgius Amira, Præfat. Gramm. Syr.* & præter hos *Job. Caspar Myricæus in Præfat. Gramm. suæ Syro-Chaldaeæ.* Sed prolixè satis illum

A 2

refu-

refutavit D. Brianus Waltonus Appar. ad Biblia Polyglotta Anglica Proleg. 2. n. 7. & Hunc Barth. Mayerus Phil. Sacr. Part. I. p. 5. seqq. & Part. II. p. 3. quapropter his non inharebimus. *Conf. etiam Pfeiff. l.c. §. 3. Disp. proæm. Synops. nobil. & select. è Philol. S. Qv.*

§. 3. Nos verò dicimus, primam & antiquissimam Mundi linguam, quâ Deus cum primis nostris parentibus in Paradiso, illi vicissim cum Deo, & inter se sunt locuti, fuisse eam, quæ longè post hominum & linguarum distinctionem, *Ebræa*, consequentibus etiam temporibus, *Sancta* dicta fuit, & etiamnum hodiè dicitur. Quæ sicuti communis & recepta, ita verissima est sententia. Apparet id namque ex summa hujus linguæ perfectione. Nam nulla alia est lingua, quæ tantâ efficaciam naturam & proprietatem rerum effert, quàm hæc *Ebræa*. Præcipuè autem id videre est ex Nominibus divinis, & in primis Tetragrammato יהוה, cujus tam divina est significatio ad essentiam Dei denotandâ, ut nulla alia Lingua æquè explicare, nedum exprimere & imitari possit. Ita ciconia vocatur חסידה à benignitate, quam erga se invicem exercent. Similiter columba appellatur יונה, quia oppressioni & prædæ exposta est, à ר. יונה oppressit vi vel fraude. Et similia exempla centena proferre possem.

§. 4. Maximè tamen id monstrat Notatio vel Etymologia Nominum priorum primorum hominum & Patrum antediluvianorum. Hæc enim nomina, quæ in principio creationis, & sequentibus temporibus hominibus data sunt, verè sunt *Ebraica*, & derivantur à radicibus *Ebraicis*; ergò illa lingua eo tempore usitata fuit, & per consequens antiquissima est. Ut res clarior fiat, addamus duo vel tria exempla, v.g. אדם Adam, dicitur ab אדמה Adamah, à terra, quia ex terra conditus est. שת Seth, quasi Positivus vel Repositivus, quod à matre Eva, sublato è vivis Habel in ejus locum repositus esset. פלג Peleg, quasi Divisio, à Verbo פלג Palag dividere, quia sub eo Divisio terræ & Linguarum confusio accidit. Huc pertinet etiam nomen אשה Ischa mulier, quæ sic dicebatur, quia desumpta erat ex איש Isch, viro, Gen. II. 23.

§. 5. Nec est, quòd dicas, Mosen illa nomina propria mutasse, & ex alia lingua in suam transtulisse. Nam rerum gestarum Scriptores & interpretes nomina propria illibata & invariata prorsus relinqvunt, ut personæ illæ, de quibus agitur vel tractatur, ipsissimis suis nominibus ab omnibus cognoscantur: unde etiam ipsi  
Scri-

Scriptores Sacri retinent nomina Syriaca, Ægyptiaca, Persica &c. Et si nomina illa vel maximè invariata non relinquuntur, sed parumper tantùm ad lingvæ suæ flexionem accommodata mutantur, tamen suam originem primam minimè negant. Nostræ etiam sententiæ adstipulantur ferè omnes Doctores tam Ebræorum, quàm Christianorum, quorum longus Catalogus videri potest in *Dissert. 1. Dissert. Philologico-Theol. Buxtorf. Conf. etiam Magnif. Dn D. Calov. in Critico S. Diatr. 3. p. 75. & in Bibl. illustr. ad Gen. XI. p. 270. seqq. Venerandum Seniores nostrum Dn. Sennertum in Dissert. de Lingv. Ebr. p. 14. & Pfeiff. in Dissert. de Lingva Protopl. nec non Quæst. 3. Diss. 1. Synopsis. nob. atq. s. l. è Phil. S. Quæst.*

§ 6. Cùm itaque constet, lingvam primam & antiquissimam, quæ sola ante confusionem Babylonicam viguit, Ebraicam esse, porrò dispiciendum, *an etiam, & ubi illa in & post confusionem lingvarum manserit?* Quòd enim certo Dei consilio, & sapienti ejus providentia, alicubi & inter quosdam salva & superstes manserit, de eo cùm experientia ipsa testetur, & testata sit, nullus dubitationi locus restat.

§ 7. Putant nonnulli, Lingvam Ebræam in multis familiis & locis, ut in *Syria, Assyria & terra Chanaan ac in posteris Chami* incorruptam mansisse. Et hujus sententiæ sunt *Gilb. Genebrardus in Chronol. sua Lib. 1. p. 33. Joseph. Scaliger in Epistola quadam ad Richardum Thomsonum, & in alia ad Stephanum Uberrum. Thomas Erpenius in Oratione de Lingva Ebræa, & alii, qui tamen ipsi non concordant inter se, sed maximè variant. Quia verò prolixè hæc de re egit & ei satisfecit Cl. Buxtorf. in Diss. 3. Dissert. Philologico-Theol. actum agere nolumus.*

§ 8. Sed nos dicimus, Lingvam hanc Ebræam *in unâ tantùm certâ familia* in & post confusionem esse conservatam, quæ juxta communem Doctorum tam Ebræorum quàm Christianorum sententiam *Eberi* fuit, Schemi pronepotis. Hæc namque familia non consensit in impium & flagitiosum fabricorum Babylonicorum consilium, ut infra videbimus: quapropter probabile non est, illam pœnam illorum expertam esse, quorum culpæ se non reddidit participem. Neque etiam tempore confusionis fuit dispersa more aliarum familiarum per terras, sed inconcussa tunc in suis sedibus permansit, donec Abrahamus speciali vocatione inde evocatus fuit.

Cùm itaqve dispersionem non subierit, probabile est, illam nec lingvæ confusionem esse passam.

§. 9. Imprimis autem nostram hanc stabilium sententiam tum nomina propria Patriarcharum, ut Abrahæ, Isaaci, Jacobi, omniumq; ipsius filiorum; tum quoque nomina locorum, ut Zoar, Beerzeba &c. quæ omnia purè Ebraica sunt. Hinc necessariò sequitur, illos, qui hæc nomina imposuerunt, Ebraicè locutos, & per consequens lingvam istam in iis conservatam fuisse. Jam verò posteros Schemi, per lineam Eberi descendentes, illos fuisse, ex Scripturis notum est. Accedit & hoc, quod ab hoc Ebero posteri ipsius Filii Eber, Gen. X. 21. & Ebræi nominati sint, de quo paulò post.

§. 10. Tandem Schemi etiam familia per Eberum descendens in vera pietate & sincero Dei cultu perstitit; è contrario Chamii familia à Deo & vera religione discescit: ideo illam singulari Deus favore, gratiâ ac benedictione est profecutus, cùm hæc contra, ex qua Canaan prognatus, à Deo fuerit maledicta, ut patet è Gen. IX. 25. Probabile itaqve est, Deum in familia sancta & benedicta maluisse lingvam sanctam conservare, per quam Religionem & Legem suâ propagare voluit, quàm in familia prophana & maledicta.

§. 11. Rabbinos, & quosdam è Christianis, qui nobiscum sentiunt, vide citatos apud *Buxt. l. c. Diff. 3. & apud Pfeiff. l. c. qv 5.* His adde *Magn. Dn. D. Calov. in Critico S. Diatr. 3. p. 73. & in Bibliis illustr. ad Gen. XI. p. 271. 272. Gerhard. Comm. in Gen. p. 271. Corn. à Lap. Comm. ad Gen. c. X. v. 24. Barth. Mayer. Phil. S. part. 1. p. 21. Nic. Fuller. Misc. Sac. L. 4. c. 4.* Huc etiam faciunt illorum testimonia, qui docent, Lingvam Ebræam sic dictam ab Ebero. Cur enim, & quæ ratio, quòd velint illam ab Ebero appellationem derivare? quia ap. ipsum, & in ipsius familia, fuit tempore confusionis Lingvarum conservata, & postmodum quoque propagata ad posteros,

§. 12. Acceperunt verò & Ebræi ipsi & Lingva Ebræa omnino nomen suum ab Ebero, ut Ebræi dicantur, quasi Eberæi. Et hæc derivatio confirmatur ex Gen. X. 21. ubi Schem dicitur pater omnium filiorum Eber. Appellantur ergò hîc Ebræi filii Eber: sicut simili loqvendi modo Israëlita, filii Israël, Judæi, filii Judæ, Moabita, filii Moab, &c. dicuntur. Similis ferè locus est Num. XXIV. 24. In Prophetia Bileami: Et affligent Assur, & affligent quoque Eber. Ubi velut per Assur intelliguntur Assyrii, ita & per Eber intelligi Ebræos



Ebræos nemo forsan negabit. Quapropter & LXX. Interpretes Eber per Ἐβραῖος Ebræos explicant: & Paraphrasis, quæ Jonathani adscribitur, exponit vocem Eber per filios Eberi. Notum etiam est, Nomina gentilia & patronymica in ῥ. desinentia denominari vel à populo aut autore, vel à terra, vel à loco. At verò nomen עברי Ebræus non à terra deductum esse, jamjam demonstrabimus, multò minùs à loco speciali, cùm talis in Scripturis non occurrat; ergò probabile sanè est, ab autore vel progenitore aliquo sic dictos esse Ebræos, qui nullus alius quàm iste Eber esse potest.

§ 13. Statuunt quidem nonnulli, *Ebræos derivari ab Abraham*, quia Gen. XIV. 13. Abraham primus vocatur Ebræus, & sic Ebræi dicti essent quasi Abraxi. Quam sententiam olim defenderunt Eusebius in Lib. 9. cap. ult. de Præparat. Evangel. D. Ambrosius in Epistola ad Philippenses cap. 3. D. Augustinus in Quæstionibus in Genesin, quæst. 24. & L. 1. de consensu Evangelistarum, cap. 14. Nicolaus Lyra, qui ambiguè hac de re scribit in Matth. 21. & alii nonnulli. Verùm hæc sententia in ipsa prima principia Lingvæ Ebrææ impingit. אברם Abram enim incipit ab א, estq; vox composita ex אב pater, & רם excelsus; sed עברי Ebræus in principio habet ע literam radicalem, estq; vox simplex. Abraham quoque tum à se vel ex se ipso fuisset denominatus, quod absurdum, quia nihil à se vel ex se ipso denominationem accipit. Non enim dicimus, Jonas Jonæus, Moses Mosæus, vel Euphrates Euphratæus, fluvius fluvialis, aut Sapiencia sapiens, Justitia justa &c. Proinde & Augustinus hanc revocavit sententiam in Libro Retractationum 2. c. 16.

§ 14. Multi etiam arbitrantur, *nomen hoc derivari à Verbo עבר* transivit, ut sic Abraham vocatus esset עברי h. e. transitor, quia trajecit fluvium aliquem: quem alii Euphratem, alii Jordanem, alii Tigrim fuisse statuunt. Occasionem hujus expositionis præbuisse videtur Græca LXX virorum versio, qui Gen. XIV. hoc vocabulum reddunt περὶ τῆς, & Aquila περὶ τῆς, sic & Vulgatus transiorem interpretatur. Sententiæ huic qui favent, citati sunt apud Buxtorf. l. c. Diss. 3. & apud Pfeiff. l. c. quæst. 1. nec non apud Magn. Dn. D. Calov. in Critico S. Diatr. 3. p. 72. seq.

§ 15. Sed meritò rejicitur & hæc opinio. Nam nomen desumptum ab actione aliqua non est Patronymicum aut Gentile Jam verò nomina populorum in ῥ. desinentia sunt Patronymica vel Gentilia,

lia, ut יהודי Judæus, עמלקי Amalekita: ergò nomen Ebræus non est desumptum à transitu alicujus fluvii. Et si עברי à transitu fluvii derivaretur, tum non haberet hanc formam; sed Abraham potius vocatus fuisset עובר vel עבר Transiens vel Transitor. Imò & Lorus, qui unà cum Abrahamo transiit, tunc Transitor ejusq; posterì, Ammonitæ & Moabitæ, Ebræi appellati fuissent. Neque ullo etiam modo verisimile videtur, populum tam sanctum, & ita semper in V.T. à Deo dilectum, nomen accepisse à transitu alicujus fluvii, cùm talis res non sit tanti momenti, ut inde tota illa gens & tam longo tempore denominaretur. Equidem vocem עברי derivari à Rad. עבר transivit, non negamus, sed remotè & mediatè: nobis quæstio est, unde hoc nomen proximè & immediatè derivetur?

§. 16. Superest adhuc alia quædam sententia nonnullorum tam Ebræorum, quàm Christianorum doctorum, qui volunt, *nomen Ebræi desumptum esse ab עבר trans per compendium עבר הנהר trans fluvium, h. e. trans fluvialis.* Quæ etymologia majorem speciem veritatis habet, quàm duæ præcedentes. Nam hominem vel populum nominare à terra, in qua natus vel educatus est, non est præter morem. Et tales etymologiæ frequentes sunt in aliis lingvis: sic quidam denominantur Transmarini, Transalpini, Transylvani, &c. ita etiam dicerentur illi Transfluviales, Transfluviani, Trans-euphratæi, &c. In hanc non pauci propendent sententiam, quos vide apud Magn. Dn. D. Calov. Buxtorf. & Pfeiff. loc. jam cit.

§. 17. Attamen & hi à veritatis aberrant tramite. Nondum enim ullus producti locus è Scripturis potuit, ubi regio עבר הנהר dicatur עבר simpliciter. Neque etiam legitur ullibi, quod Moyses Abrahami patriam vocaverit עבר הנהר trans fluvium. Et si hoc nomen desumptum esset à terra, omnibus certè filiis Eberi conveniret; quia omnes ex regionibus, trans fluvium Euphratem sitis, nati sunt: sed hoc nomen ulli, præter eos, qui ex Abrahami linea ascenderunt, ejusq; fidem & professionem sequuti sunt, etiam si etià trans fluvium habitaverint, datum esse, nusquam in Scripturis extat.

§. 18. Relinquitur itaq; hoc, quod §. 12. diximus: idq; ex testimoniis declaramus ac confirmamus illustribus Ebræorum & Christianorum, quæ allegata vide ap. Buxt. & Pfeiff. loc. jam cit. Conf quoque Magn. Dn. D. Calov. in Crit. S. Diatr. 3. p. 73. & in Bibl. illustr. ad Gen. c. XI. p. 271. nec non eorum testimonia, quæ in §. 11. adduximus.

§. 19. His

§. 19. His igitur sic prælibatis ipsam considerabimus Confusionem Lingvarum, & primò quidem ejus causam efficientem, quæ non fuit aër Borsippæ, neque ipsa natura, aut ipse homo, ut alii volunt, sed Deus Ter Opt. Max. fuit autor & causa efficiens hujus confusionis. Sic enim ejus Cancellarius Moses hac de re scribit Gen. IX. 6. 7. 8. 9. Dixit יהוה Dominus: En populus unus &c. Age descendamus & confundamus labium eorum &c. Dispersit itaque Dominus &c. Propterea vocavit nomen ejus Babel, quòd illic confudisset labium universæ terræ. Quibus verbis disertè Deo hujus rei causa adscribitur.

§. 20. Sunt tamen nonnulli, qui dicunt, Deum in Lingvarum confusione usum fuisse hominibus, tanquam causis instrumentalibus Physicè concurrentibus ad confusionem lingvarum. Qui verò hoc defendunt, sententiam suam non eodem, sed variis admodum explicant modis, quos prolixè enarrat Buxtorf. in Dissert. 2. & postmodum etiam refutat, quapropter ea nolumus repetere. Alii Deo socios seu causas Medias intervenientes adjungunt, dicentes, Deum 70. Angelos adhibuisse, & cum eis confusionem effecisse 70. lingvarum, postea unicuique populo horum unum præfecisse. Et fundamentum, ut apparet, hujus suæ sententiæ ponunt in eo, quòd Deus unicus, in plurali numero, veluti colloquens & consultans cum aliis, dicit: Descendamus & confundamus labium eorum. Inter quos præprimis est Paraphrastes Jonathan, in translatione v. 7. & 8. cap. XI Gen. & R. Elieser in Pirke, cap. 24. Quam interpretationem etiam ex Patribus Christianis arripuit Origenes Homil. 11. super Num. nec non Augustinus Lib. 16. de C. D. cap. 6. qui tamen dubitanter & hæsitanter omnia profert.

§. 21. Verùm nulla hinc Angelorum, tam in Decreti divini, quam in ejus Exequutionis expositione, sed solius יהוה Dei fit mentio. Neque opus hoc Lingvarum Confusionis est opus Angelorum, sed opus Dei, & quidem tale, in quo nullo modo videtur ministeriali Angelorum opera esse usus. Ita etiam, cum simile ferme opus, dum lingvarum donum infundebar hominibus Deus in die Pentecostes olim in Apóstolis operatus esset, non legimus, Angelorum operâ id effectum dedisse Deum, sed in momento & miraculosè planè, atq; adeò immediatè Spiritum S. esse operatum. Deinde si Angelos alloqvutus fuisset, tum quasi æquales Deo hinc

B

intro-

introducerentur, & Deus quasi unus ex illis esset constitutus quodammodo cum illis in eodem dignitatis & potentiae gradu: sed nullibi in tota Scriptura S. aliquis invenitur locus, in quo prima persona pluralis numeri Deus ita Angelos allocutus est. Quod verò Deus unicus hoc loco in plurali numero dicit: Descendamus & Confundamus, duobus explicari potest modis. Nam nomen divinum  $\text{יהוה}$  sumitur vel  $\text{ἰσοῦδαῖς}$ , & tunc, Deum hic, ex consuetudine linguae, de seipso loqui in plurali numero honoris & magnificentiae causa, à quibusdam dicitur, ad imitationem Regum & Principum terrenorum, qui in decretis suis scribere solent: Nos Carolus, nos Ludovicus &c. sic decrevimus: vel  $\text{ἰσοῦδαῖς}$ , & tunc Deus Pater, tanquam prima Deitatis persona, dicit, non quidem ad alterum quempiam Deum, ut objiciebat Julianus Apostata, sed ad cæteras duas personas, Filium nempe & Spiritum S. Descendamus & Confundamus; quemadmodum & fecit cap. 1. v. 26. & cap. 2. v. 18. quando dixit: Faciamus. Quæ ultima explicatio ferè omnibus Theologis orthodoxis arridet. Vide plura apud Buxt. l. c. Leusden. Diss. 18. Philolog. Ebr. nec non Magn. Dn. D. Meisn. D. sp. de Confusione Lingvarum Babylonicâ, assert. 4. §. 3.

§. 22. E quibus videmus, Deum fuisse autorem, qui Linguam primævam in ædificatoribus turris Babylonicæ confudit: *Sed quomodo id factum sit, nobis porro inquirendum est.* Nonnulli putant, referente Jul. Cæs. Scalig. Exerc. 259. sect. 1. quòd Lingvæ sint confusæ non per variarum lingvarum multiplicationem, sed *per unius vocis variam significationem*, e. g. quòd vox  $\text{אֶבֶן}$  aqua in quorundam auribus significasset lapidem, in aliorum verò auribus perpendiculum, lignum, vel aliquid aliud. Sed hoc absq; ullâ specie veritatis asseritur: nam sic ipsæ lingvæ non essent confusæ, sed tantummodo vocum Ebraic. diversa significatio fuisset per Deum introducta.

§. 23. Casaubonus negat se cum iis consentire posse, qui lingvas toto genere diversas repente in Babel exstitisse putant. Cum quo etiam facit Heideggerus in Histor. Patriarch. Exerc. 21. p. 651. Cluverus L. 1. Germ. Antiq. c. 8. existimat in turris constructione Deum unam illam linguam primitivam dissipasse per multa Idiomatica, quæ inde in orbe obtinuerint, matre extinctâ.

§. 24. Pererius vult, Deum omnes illos homines, qui ædificationi interfuerunt, oblivisci primæ lingvæ, quæ antea fuerat hominû communis,

munis,

munis, fecisse, vel potius delevisse ex animis eorum hominum habitum illum, quo significationes omnium vocum illius lingvæ cognitæ habuerant, iisq; quotiescunq; volebant, ad loquendum uti promptissimum & facillimum illis fuerat. Hæc itaq; inductâ oblivione vel deletionem, tantam illis contigisse ignorationem, & cum eâ loquentes audirent ipsum Eber & Phaleg, quasi nihil de ea unquam vel novissent, vel etiam audivissent, nullo modo eos intelligerent.

§. 28. Postmodum verò ne mutos & elingves eos fecisset, iterum pro diversitate gentium, quæ ad ædificationem hanc civitatis & turris concurrerant, diversos habitus variarum linguarum mentibus eorum inseruisse. Quò factum fuisse, ut unaquæq; illarum gentium ejus lingvæ, quæ divina compensatione ei contigerat, non modò cognitionem, quantum ad verba, phrasas, proverbia, aliâq; id genus propria cujuslibet lingvæ; verùm etiam ad loquendum facilem & promptum haberet usum.

§. 26. Alii aliter describunt modum, ut in cujusvis ferè cerebello nova de eo enascatur opinio. Quicumq; autem is fuerit, fuit planè arcanus & miraculosus, unde fortè haud ineptè cum Mercero dicendum: Non est, quod subtilius & curiosius quæramus, quomodo hæc linguarum confusio facta sit? Ego repente, ait, id factum Dei arcanâ ratione putârim, & nobis ignota, sicut & pleraque alia in superioribus à Deo facta, quæ facta quidem scimus, sed quomodo ignoramus.

§. 27. Attamen, ut etiam quid nobis videatur exponamus, quamvis in sententia Pererii plurima putemus rectè esse dicta, censem tamen Buxtorf. sæpè citatum adhuc accuratius modum expressisse, dum ait: Videtur ergò indigitari, Multiplicationem hanc linguarum factam esse non simpliciter per novarum linguarum creationem, sed per admisionem & confusionem aliorum, seu novorum, s. ex Ebræa corruptorum, aut potius ratione aliquâ deductorum vocabulorum, tanquam aliarum & novarum quasi specierum linguarum, cum Ebræa: apud plerasq; scil. gentes, quia Ebræa pura in una duntaxat permansit familia, cujus respectu, & apud quam nulla erat confusio. Unde etiam adhuc in omnibus lingvis, maximè cardinalibus, ut vulgò vocant, aut matricibus, reliquæ & vestigia Labii illius universalis totius terræ deprehenduntur. Hinc sunt, qui putant, Babylonicam istam Confusionem nihil aliud fuisse, quàm Literarum radicaliū lingvæ Ebrææ, vel etiam vocalium, permutationem, transpositionem, inversio-

nem, literarum alicujus additionem, ablationem, &c. Nam, ut hoc etiam probem, in textu Ebraeo Gen. XI. non scribitur פלג Divisit, aut הבריח Distinxit, sed נבלה confundamus, & in v. 9. בבל confudit. Hoc enim verbum propriè non significat pudefacere, ut vult Pererius, quia ibi pudore confusi sunt ædificantes Babel, cum se invicem amplius non intelligerent, sed miscere, permiscere, confundere, qualis confusio seu permistio est, cum diversæ res seu species inter se permiscantur, e.g. sicca cum humidis. Sic Exod. 29, 2. placentæ, absque fermento, confusæ in oleo. Levit. 2, 5. & c. 23, 13. simila confusa in oleo. Sic cum cum sicco, v.g. Jud. 19, 21. & pabulum præbuit asinis. Pabulum enim, quod præbetur animantibus brutis, ut plurimum est mistum, advertente R. D. Kimchio ad hoc verbum. Hinc etiam בליל Farrago, Pabulum, Jesa 30, 24. Jobi 6, 5. & 24, 6.

§. 28. Et hoc quoque ostendit nomen Babel, huic civitati & turri, à re divinitus ibi facta, impositum, quod deducitur à בבל, ut sit בבל Babel quasi בבל Balbel, altero L extrito, cujus syncopes aliud exemplum extat in Græca voce γολγοθα Matth. 27, 33. pro Golgoltha, & in Syriaca גוגולת Gogoltha pro Golgoltha, & in Chaldaica קיקלת Kikaltha pro Kikaltha, & שושילת Soshiltha pro Soshiltha. Hinc Onkelos Gen. X. 9. habet: Ideo vocavit nomen ejus Babel, quia ibi בבל Balbel, i. e. confudit Dominus sermonem totius terræ. Et LXX, vocis illius energiam Græcè exprimentes, prout in aliis quoque nominibus propriis sæpe fecerunt, σύγχυσιν confusionem, verterunt, quia ibi συνέχεε confudit Deus labia universæ terræ.

§. 29. Plura & autores, qui huic sententiæ favent, vide apud Gerhard. Comment. in Genes. c. XI. Dorschaum in Admirandis Glos-sarhia Domini Jesu p. 630. Buxt. l. c. Diss. 2. Bochart. Geograph. S. part. 1. Hotting. in Smegm. Orient. L. 1. p. 61. &c.

§. 30. In quot verò lingvas ista divisio seu confusio tempore ædificationis turris Babylonica facta sit, Scriptura quidem disertè non exprimit, Interpretes tamen conati sunt, hoc ex illa elicere. Confusio enim lingvarum quia divisionem ac dispersionem gentium antecessit, ejusque causa fuit, statuerunt, probabile esse, secundum diversitatem familiarum, unde gentes natæ, diversitatem quoque lingvarum factam esse.

§. 31. Quia autem de diversitate familiarum inter Ebraeos & Græ-

Græcos codices aliqua est discrepantia; hinc quoque alia est Ebræorū, alia Græcorum & Latinorum de numero Lingvarum sententia. Nam Ebræi statuunt, divisionem esse factam in 70 lingvas, hancque suam sententiam imprimis probare conantur ex 70 nepotibus, qui ex Noacho descenderunt. Scriptura enim Gen X ex Japheto 14, ex Chamo 30, & ex S. hem 26. colligit filios & nepotes. Hi simul collecti 70 constituunt filios & nepotes, & totidem familiarū capita. Quod etiam deducere volunt è loco illo Deut. 32, 8. ubi dicitur: Quando hereditates distribuit Excelsus gentibus, quando divisit filios Adam, statuit terminos populorum secundum numerum filiorum Israël. Jam verò numerum filiorum Israël, qui ingressi sunt in Ægyptum, dici 70 ex Gen. 46, 27. & Deut. 10, 22. constare ajunt. *Quia igitur fuerunt 70 populi, ergò ex sententia Judæorum etiam fuerunt 70 lingvæ; quia divisio lingvarum est causa divisionis populorum, uti dicitur Gen. X. 5.*

§. 32. Et horum 70 populorum harumque 70 lingvarum crebra in scriptis Rabbiorum fit mentio: de quibus vide Buxtorf. l. c. diff. 2. Cum his nonnulli ex Christianis faciunt, qui numerum septuagenarium populorum & lingvarum etiam probant ex 70 discipulis, quos Christus Luc. X. v. 1. vocavit, & in mundum emisit, ut unaquæque gens haberet proprium suum Doctorem.

§. 33. Græci verò & Latini statuunt, hanc confusionem esse factam in 72 lingvas, quam sententiam quoque ex numero familiarum stabiliunt. Desumserunt autem eum ex Bibliis Græcis, in quibus Gen. X. duo adduntur Kainan, unus Schemi filius, v. 22. alter Arphachfadi filius, Schelachipater, v. 24. qui in textu Ebræo non leguntur, nec in textu Chaldæo, aut ullo alio Scriptore Ebræo, quapropter is binario auctus est. Hanc defendunt Eusebius in Chronico Lib. 1. Hieron. in cap. 26. Matth. Origen. Homil. 11. in Libr. Num. Augustinus Lib. 16. de C. D. c. 3. & c. 7. item in Libro de mirabilibus S. Scripturæ cap. 9. Epiphanius contra hæreses Lib. 1. tom. 1. & tom. 3. Prosper Lib. 2. de vocatione gentium cap. 4. Arnobius Comment. in Psalmos, Ps. 104. aliique quamplurimi.

§. 34. Contrà verò Euphorus in 75 lingvas factam putat confusionem, quia totidem animæ cum Josepho in Ægyptum descenderint. vid. Actor. VII. 14. Pacianus, Episc. Barcinonensis, in opusculo contra Novatianos, cujus meminit Hieronymus, in 120 lingvas confusionem esse factam vult.

§. 35. Ex quibus videmus, numerum familiarum admodum incertum esse, ut adeò vix etiam quicquam de numero lingvarum statui possit, cum-

primis cum de his taceat Scriptura. Plurima, quæ jam adducta sunt, absque ullo fundamento & ratione dicuntur, & propterea eadem facilitate, quæ asseruntur, à nobis rejiciuntur. Quod autem numerum nepotum Noachi concernit, ubi Ebraei 70, Græci & Latini 72 statuunt, nemo inde bonam consequentiam probabit, quod etiam totidem populi sive gentes fuerint. Nam nemo potest efficere familiam, gentem, vel posteritatem à se denominatam & propagatam nisi per generationem alicujus sui filii. Jam verò quomodo pater hanc, & filius aliam effecisset gentem, aut pater potuisset constituere peculiarem familiam? Et hoc pacto decem patres ex 70 vel 72 numero auferendi essent, ubi tum 60 vel 62 familiarum tantum supererunt.

§. 36. Adde, si divisio Lingvarum in annum nativitatis Peleg incidit, (quod infra probabimus) sanè hic, qui major & ætate prior fratre suo Jochan fuit, cum fratre ejusque XV filiis fuerit eximendus. Alia non adducimus, plura videri possunt apud Rivetum Comment. in cap. XI. Genes. Exerc. 68. & Pererium Lib. 15. & 16. qui fuse & eruditè de his omnibus egerunt. Conf. etiam Buxt. l. c. diss. 2. Bochart. Geograph. S. Part. I. Hotting. Lib. I. Smegm. Orient. cap. 4. Leusden. Philol. Ebr. diss. 19.

§. 37. *Occasionem* confusione Lingvarum dedit *turris Babylonica edificatio*, quæ Deus, ob summam eorum superbiam, provocatus, gravissimam & justissimam hæc poenam ipsos punivit. Equidem in ipsa fabricatione non consistebat peccatum, sed in eo, quod non legitimum intenderint finem. Quapropter hi fabricatores ab omni peccato in hoc opere absolvendi non sunt, ut quidam volunt, inter quos è Christianis præprimis est Alphonsus Tostatus, ex Ebraeis Aben Ezra & ex parte R. Levi Gerson. Nam non ædificabant templum, prout illi contendunt, ut Deum illic colerent, multò minus altare, super quo sacrificia & preces offerrent, aut ut in turri illa tuti essent contra vim aquarum, si fortè novum diluvium iterum terram inundaret, sicut sentit Josephus; notum enim iis erat fœdus, quod Deus pepigerat cum Noacho ejusque posteris: nec ædificabant aliis de causis, quas illi adducunt, qui eos ab omni peccato immunes esse volunt, quæ videri possunt in Tanchuma, sectione מן, apud Abarbanelem, R. Bechai & alios: sed ut nomen sibi compararent & ne dispergerentur, ut Sacer inquit Codex.

§. 38. Quod autem in hoc ipso gravissimè peccarint, apparet quoque ex processu Dei Judiciali, contra ipsos instituto, qui Gen. XI. describitur, & ex poenis singularibus extraordinariis, lingvarum scil. confusione & popu-



populorum subitanea dispersione. Primum itaq; peccatum fuit, ut præcedenti §. diximus, quod voluerint sibi comparare nomen. Nomen quidem & famam quærere & ambire per se non est malum aut illicitum, sed debito illud fieri debet modo. Honor namq; & gloria Dei ante omnia, & primò omnium nobis debet esse proposita. Hi verò filii hominum propriam quærebant gloriam, & tantummodo ad pompam turrim illam ædificabant, ut posteris suis essent admirationi. Negligebant cœlum & immortalitatem quærebant in terris.

§. 39. Alterum consistebat in eo, quod voluerint stabilire suam conjunctionem, & præcavere dispersionem. Quæ voluntas horum fabricorum voluntati Dei & eorum prudentia Dei sapientiæ & ordinationi repugnabat. Deus enim volebat eos dispergi per terram, eosq; eandem implere, sicut in ipso statim rerum primordio dixerat: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam &c. Gen. I. 28. quod ipsum etiam post diluvium repetit atq; renovat. Huic Numinis præpotentis fato & decreto reluctabantur Babylonicæ molis conditores suis rationibus, consiliis & voluntatibus: è quibus proinde varia emergebant peccata, quibus se homines isti contaminârunt, & Deum offenderunt. Superbia animi. Ambitio, Dei neglectus & contemptus, Labor irritus & inutilis, aliaq;

§. 40. *Quinam autem auctores & architecti famosi hujus operis fuerint,* Scriptura tantùm implicitè commemorat, quando dicit: civitatem & turrim ædificasse *Filios hominum.* Ubi per eos intelliguntur impii, profani, qui terrena tantùm sapiunt; sicut contra cap. 6. v. 2. filii Dei, pii seu filii sanctorum Patriarcharum, qui ad veram & non Cainicam Ecclesiam pertinebant, appellantur. Et hi præipue fuerunt posterii Cham, quorum *ἑξοδικώτης* & Antesignanus fuit Nimrod; ita tamen, ut ex cæteris Japheti & Schemi familiis non paucos quoq; ad se fortè contra ipsorum voluntatem pertraxerit. Colligi hoc posse videtur ex eo, quod Gen. X. 9. 10. dicitur, eum potentem venatorem fuisse coram Domino: principiumq; regni ejus fuisse Babel, Erech & Achad &c.

§. 41. Cajetano tamen contrarium allubescit, qui Nimrodum non condendæ Babylonis, sed ejus jam conditæ primum regnatorem fuisse asserit, quem tamen refutatum vide apud Pererium. Volunt & Abulensis, Myricæus, Cornelius à Lapide & quamplurimi alii, Noachum quoq; & Eberum pares suscepisse operas, sed pro nobis respondet Mayerus Philol. S. Part. II. p. 338. seqq. Absurdum namq; est Viris Deo dilectis hanc inobedientiæ maculam inurere, citra evidens aliquod Scripturæ testimoni-

moni-

monium. Et conservata etiam est lingua Ebraea in Noacho familiâq; E-  
beri, cum lingua omnium aliorum confunderetur. Si verò communes  
operis fuissent socii, quid obstitisset, quò minus inflictæ aliis pœnæ socii  
fuissent? Socii enim in opere, socii in pœnâ. Et in hoc nobiscum senti-  
unt non tam ex Ebraeis autores præstantissimi, quos citavit *Buxt. l. c. diff. 2.*  
sed etiam è Christianis clariss. viri. *Conf. Joseph. L. 1 antiq. c. 5. Aug. L. 16. de*  
*C. D. B. Luther. in Comm. sup hæc verba. Magn. Dn. D. Calov. in Bibl. Illustr.*  
*Leusden. Philol. S. diff. 18. & jam modo nominatum Mayerum l. c. aliosq;.*

§. 42. *Locus*, in quo Architecti hi convenerunt, quis fuerit, satis aper-  
tè docet Historicus S. Gen. X 10. appellans eundem *רענש* (*Sinear.*) Græ-  
cus vertit *Βαβυλων* Zach. V. 11. & *Βαβυλωνια* Et. XI. 11. Chaldaeus ad discrimen  
ejus à Babylone Ægypti, quam hodie Cairum vocant, addit: in ter-  
ra Babylonis. Nomen autem hoc huic campo post factam demum con-  
fusionem, à qua *רענש* dictus est ille locus, obvenit, ut D. Gerhardus in  
Genesis & Corn. à Lap. in h. l. existimant, conf. etiam Bochart. Geogr. S.  
L. 1. c. 5. qf. dices campum qui excutit, à R. *רענש* excusit, quia sc. Inco-  
læ ejus loci justo Dei judicio in omnes terras excusli & dispersi fuerunt.  
Quo verbo etiam Deus utitur, cum dicit Job. 38. 13. impios è terra excuti.

§. 43. Restat adhuc, ut videamus *Tempus* seu Quando hoc omne con-  
tigerit. Illud Moses, etsi obscure non nihil, designat, quando dicit Gen. X.  
v. 25. Ebero natos esse duos filios, quorum uni nomen Peleg (i. e. divisio);  
eò quòd in diebus ejus (*נפלגה*) divisa fuit terra. Quod idem est ac si di-  
ceret, terram fuisse divisam, quo tempore Phaleg natus est.

§. 44. Quæ sententia videtur verisimilior illis, ubi dicunt divisionem  
vel ultimo anno Phalegi, vel tempore mediæ ætatis ejus contigiss. Nam  
Phaleg nomen accepit ab hac divisione; ergò circa nativitatem ejus con-  
fusio videtur introducta: nam infantibus, non verò viris circa mediam  
ætatem, vel circa mortem, nisi ob specialem aliquam causam, nomina  
imponuntur. Et posito, non concessio, divisionem factam fuisse post na-  
tivitatem, vel tempore mediæ vitæ, vel ultimo anno, Phalegi, cur, quæso,  
hoc nomen non potius Joctani fratri jam nascenti, aut etiam jam adulto  
inditum est? nulla sanè ratio est.

§. 45. In hac sententia fuit primò Ebraeus *Aben Ezra in princ. cap. XI.*  
*Gen. & v. 9. ejusd. cap.* Huc quoq; inclinat *Joseph. Antiq. Jud. L. 1. c. 7. S. Aug.*  
*de C. D. L. 16. c. 11. Mercerus in Comm. suis in Gen. Wolfg. Musculus in Com. suis*  
*in Gen. Postellus de Orig. c. 20. Edward Simson in Chron. Cath. part. 1 p. 9. In*  
*candem sententiam eunt Matth. Beroaldus, Gviliel. Perkinsius, Hugo*  
*Broughtonus, David Pareus, Perer. & complures alii*  
*Theologi & Historici.*

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

digitalisiert: misc. 52	PPN	278388817

SLUB DRESDEN



3 0619518

Coll. diss. B. 7

